

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ

Charlas, Antoine

Leodii, 1684

Cap. IV. Definitionem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ communiter traditam
non esse legitimam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

LIBERTATVM ECCLESIAE GALLICANÆ. LIB. I. 13
bus comprobatam tanquam fundamentum ponimus. Non ne-
gligemus tamen alias , sed opportunis locis , pro cuiusque
merito expendemus.

C A P U T I V .

*Definitionem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ communiter
traditam non esse legitimam.*

1. **D**efinitio libertatum Ecclesiæ Gallicanæ , quam com-
muniter tradi pluribus testimonii superiori capite
ostendimus , nempè quod sint antiquarum *Canonum custodia* , si ad
leges Dialeticæ exigatur , contra omnes , aut saltem præci-
puas definitionis regulas , nimirum perspicuitatem , integrata-
tem , ac convenientiam cum re definita , peccare comperictur.

2. Obscura est , quia , cùm antiqua disciplina latissimè pa-
teat , incertum est , an eam integrum complectatur ? an il-
lius tantum partem ? & quam & quoisque perveniat antiqui-
tas ex mente Gallorum ? Canones etiam alii à Conciliis ge-
neralibus , alii à Provincialibus , alii à Nationalibus editi
sunt. Antiqua disciplina non solos Canones , sed etiam sum-
morum Pontificum Decreta complectitur. Porro Illustrissi-
mus Archiepiscopus Rhemensis declarat , ut vidimus „, Fran-
„, ciam autoritatem semper æqualiter potentem , & veneran-
„, dam quatuor primorum Conciliorum habere tanquam uni-
„, cum , & inconcussum suarum libertatum fundamentum.
Christophorus Justellus quatuor primis Conciliis cœcumeni-
cis adjungit alia , quæ ab illis confirmata sunt. Quod etiam for-
tassis intelligit Dominus le Tellier. Verum Dominus de Mar-
ca usum juris communis antiqui sine exceptione veram , & genuinam hujus liber-
tatis definitionem dicit ; idque EX SENSY ECCLESIA GALICA-
NA , huic consentit Joannes Doujatius , cùm ait , VETERA
ECCLESIA INSTITUTA , VULGO IMMUNITATES , SEV LIBER-
TATES ECCLESIA GALICANÆ DIC. Alii expressè sum-
morum Pontificum Epistolas Decretales meminerunt. Alii de-
nique antiquis Canonum Codicibus specialem tribuunt auto-
ritatem.

B 3

3. Quâ

14. DE NATVRA, ORIGINE, AC PROGRESSV,

3. Quā in re tamen eorum aliqui non solum inter se dis-
sentire, sed etiam sibi ipsis non satis videntur constare. Nam
verbi gratia Doujatius, qui loco jam jam citato vetera insti-
tuta vocat libertates Ecclesiæ Gallicanæ, tamen loco infrā
cap. 12. num. 6. citando, ius antiquum obsoletum dicit. Do-
minus etiam de Marca, cūm in loco jam adducto veteris tan-
tum juris meminerit, in locis infra cap. 13. referendis to-
tum ferè jus novum ad libertates Gallicanas afferit perti-
nere.

4. Caret tradita definitio parte una, eaque præcipua, scilicet
differentia. Licet enim concedamus nonnullos, si velis etiam
plurimos antiquos Canones observari in Gallia, eos tamen
ipsos, aut plures servant etiam reliquæ Catholici orbis Pro-
vinciæ; nec facile paterentur reliquæ Catholicae nationes hanc
sibi laudem à Gallicana præripi.

5. Definitio illa non convenit suo definito. Si quis enim
hinc singula libertatum illarum capita, quæ in tractatibus ea
de re scriptis proponuntur, attente consideret, illinc uni-
versos Conciliorum antiquorum Canones, ac summorum
Pontificum Decreta perlustret, parum inter se convenire
concludet.

6. Jure tantum antiquo definitæ sunt libertates; cum ta-
men, circa novum magis versari videantur, sed ut prædicta
manifestius pateant, singula fusiùs sunt prosequenda.

C A P U T V.

*Quod Ecclesiæ Gallicanæ libertates non contineantur in
solo Codice Canonum Ecclesiæ universalis.*

1. **J**acobus Leschafferius in opusc. de antiqua & Canonica
Ecclesiæ Gallicanæ libertate jam citato, Ecclesiam Gal-
licanam perhibet, Ecclesiæ universæ Decreta ex tribus Co-
dicibus successivè deprompsisse. Primum illorum Codicum
vocat Codicem Ecclesiæ universalis; secundum Codicem Ca-
nonicum Ecclesiæ Romanæ; Decretum Gratiani tertio lo-
co reponit. Primum illum & antiquissimum Codicem com-
pletæ